

**De haematuria : dissertatio inauguralis medica ... / publicae disquisitioni  
submittit Vilhelmus Streitt.**

**Contributors**

Streitt, Vilhelmus.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Pestini : Typis Jos. Beimel, [1841]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qjt9gfzg>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

16.  
**H A E M A T U R I A.**

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

**PRAESIDIS AC DIRECTORIS**

SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

**DOCTORIS MEDICINAE LAUREA**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS, ET PRIVILEGIIS  
IN ALMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE HUNGARICA  
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**VILHELMUS STREITT.**

Theses adnexae defendentur in palatio Universitatis  
Die 1841.

---

**PESTINI.**

Typis Jos. Beimel.



— — Ars longa — —

Hippocrates Aphorismo.

*Hipp. I.*

Versengve buzgunk a' tökély felé

Nyomozzuk útját! — —

*Horváth Czirill.*

***Patri optimo***

*gratus filius.*



1850

1850

**H**aematuria, mictus cruentus, s. sanguineus Urina sanguinea, haemuresis, ger. Blutharnen, hung. Vérzellés, gal. Pissement de sang. ang. Pissing of blood, hol. Bloedige pis. dicitur profluvium cruentum e renibus ureteribus, vel vesica urinaria per urethram contingens ita, ut, plurimis casibus sanguis urina mixtus evacuetur, ideo urina colore rubro tincta est, quiete sanguis coagulatur, et praecipitatum rubro fuscum efformat.

Haematuria raro est morbus primarius, sed potius symptoma, aut effectus diversarum adfectionum, sedem in variis systematis uropoetici partibus habentium, principalis attentio medici dirigenda est in fontem, naturam et conditionem laesionum eam provocantium; nam his aprime cognitis, diagnosis, prognosis, et therapia facilior — interim raro haec clara cognitio medico conceditur.

Solus color ruber, aut fuscus, non constituit diagnosticum Symptoma, ad certam sanguinis in urina praesentiam determinandam, nam aegri sanguine ajunt remixtam urinam quamvis ea solum copiosior, rub



ro fusca, lateritia, aut animalibus particulis salibusque urinae propriis referta est, ab ingestis variis quoque tam medicamentis, quam alimentis uti: radice rubiae tinctoriae balsamo peruviano radice rhei, baccis rubi idaei, cacto opuntia, a morbis variis, uti febris inflammatoria intensa, policholia, hydrope, simplici refrigerio, per vermes intestinales, diuretica, cepam, allium, urina redditur rubra, uti et per omnia aphrodisiaca.

Symptomata morbi diagnosim illustrantia, sunt sequentia: Urina conspicitur sanguine inquinata opaca, color sanguinis est immutatus, sedimentum deponit materia tinctoria, et fibrina constans, attactu molle, nihil pulverosi in se continens, cujusque qualitas aspectu jam cognoscitur; si sanguis purus urinae admixtus sit, post missionem mox coagulatur, coagulo; illi ex vase sanguifero misso fere simili, nonnullis in casibus sanguis forma grumorum concretorum, fibrosorum, compactorum seceritur, quodsi hi longiori tempore in viis urinariis retineantur, ab urina perforantur, seceduntque tubuli, jam majores, jam minores formam canalium, illiusque dimensionem sat bene mentientes. Si valde parum sanguinis urinae admixtum esset; tunc guttatim ex urina secedit, atque ad diagnosim certam stabilendam, ea per aliquot horas quieti committitur, urina quaecumque antea turbida: serius lucidior redditur, sedimentumque deponit materia tingente constans (haematinam) vasis parietibus adhaerens; vestes albae, et charta ei intrusa ab illo ruffantur, adhuc certior redditur diagnosim, urinam calefaciendo; materia enim tingens non solvitur sed coagulatur, et ex urina praecipitatur; resoluta in partes constitutivas fibrinam et albumen

Cum organa uropoetica omnia, in sua superficie interna, obvestita sint membrana mucosa molli, per quam



vasa sanguifera copiosa distributa sunt, ad renes praeterea, adducatur sanguis copiosus per arterias renales crassas, per ipsam fabricam organicam, inducitur dispositio generalis ad haemorrhagias, quae tamen ad rariores pertinet; nisi adfuerit dispositio peculiaris, consistens in statu peculiari dynamicorganico haemorrhagia e faventi, qualis subinde cogenita, haereditate acquisita, saepius tardius evoluta est, per influxus potentiarum nocentium inorgana uropoetica agentium, per morbos praegressos; ut inflammationes quocunque modo excitatas, per calculos urinarios, per haemorrhoides, post quos influxus vasa renum, vel ureterum, vel vesicae urinariae varicose extenduntur, irritabilitatem morbosam adipiscuntur, et tunc congestiones sanguinis morbosae facile in secretionem cruentam transeuntes locum habent.

Praesente dispositione excitatur haematuria, per varias causas, ut per violentiam externam mechanicam lumbis, aut pubi illatam, per concussionem totius corporis majorem, per refrigerium calente corpore admissum, per potus spirituosos, aromata acriora, subinde diuretica, ut therebinthinam; balsama, meloe majalim, et proscarabieum cantharides, nitrum dosi excessiva sumtum, per coitum violentum, strongilum gigam. Non raro est hic morbus symptoma alterius morbi, ut febris putridae, febris flavae Americanae, pestis Orientalis, variolarum malignarum, putridarum, scorbuti, apoplexiae, frequentius inducitur antagonisticè post haemorrhagias habituales, ut catamenia, haemorrhoides suppressas. Cel. Reil epidemicas adnotavit haematurias post mutationem pressionis aëris, sic et per allisum corporis aquae, subnatatione, et praecipitatione in eam.

Haematuria quatuor nanciscitur exitus.



1. In sanitatem; congestionis symptomata evanescent, et Haematuria cessat, secretio tamen mucii cum urina per aliquod adhuc tempus perstat.

2. In partialem sanitatem; haec agnoscitur, per protractam blenorream, et symptomata inanitionis, quae per longum tempus excurrentem debilitatem insequuntur.

3. In alium morbum; uti:

a) inflammationem ob suppressam haematuriam, aut si causa excitans, vel mechanica specifica adfuerit; inflammatio etiam adesse poterit, cum congestione, et Haematuria renali.

b) Lythiasim; non infrequens enim est generatio calculi e grumo sanguinis, in vesica urinaria, ut germine pro basi salium relicto. Calculus, vel in Vesica urinaria, vel in renibus generatur; favente inprimis Arthritide.

4. In mortem:

a) raro per Haemorrhagiam non sistendam.

b) per obstructionem renum, uretherum, urethrae

Pessimus est primus casus; ubi insequitur retentio urinae renalis; melior retentio cistica.

Vulnera abdominis, lumborum, hypogastrii, perinei Haematurias comitantia, diagnosim morbi facilitant, cum per investigationem debitam facile locus laesionis organorum uropoeticorum innotescat; directionis, et situs eorum ope.



**Prognosis.** Haematuriae in genere non sunt laethales, cum raro tam copiosus sanguis evacuetur ut in aliis Haemorrhagiis, neque ut hae tam ominosis stipentur symptomatibus. Adnotatus tamen est laethalis exitus, Haematuriae post rexiim Bulbi cavernosi inductae, cum haemorrhagia sisti non poterat. Subinde in gastritide, in individuis debilibus, quae cum secretionem materiae puriformis foetidae conjuncta est, viribusque ad imum prostratis, in Vesica Urinaria secernitur sanguis, qui urinae admixtus evacuat, mors dein subsequitur, non ob Haematuriam, sed morbum universalem cuius ominosum symptoma Haematuria constituit. In genere; prognosim non determinat Haemorrhagia, sed nobilitas organi adfecti, aut laesi, ad quae, cum accessus sit difficilis, auxilium saltem aegre adferri valet, aliae autem causae provocantes haematuriam, eo ex respectu ponunt prognosim, infaustam, quia earum sublatio, uti calculi ureterum, Vesicae urinae semper cum operatione ancipiti, periculosa nexa est. Haematuria, quae nec medicis, nec chirurgicis adminiculis coerceri valet, eatenus enecat, quatenus organismi debilitatem inducit; aut varios exitus, uti inflammationem, suppurationem, indurationem renum vel Vesicae Urinae inducit.

In viris prognosim tristior, quam in feminis. Congestione sanguinis in renes, organa abdominalia, vel Haemorrhagiae inepte sublatae Haematurias provocantia laetior habent prognosim; experientia denique docet Haematuriam sub dentitione infantum occurrentem raro lethali exitu coronatam fuisse.

Cum varia organa systematis uropoetici hoc morbo laborent, singularum huius morbi subdivisionum diagnosim, et aetiologiam, specialiter exponam; his expositis omnium Therapiam in genere adnectam.



**Haematuria urethralis, s. stilaticia, stimatosis, haemorrhagia penis, s. urethrae, urethrorrhagia, phalorrhagia, sequentia prodit symptomata morbosa: Effluxum sanguinis diuturnum, facilem nisum nullum ad urinae evacuationem, sanguis evacuatur purus, si urina tardius in sequelam normalis secretionis renum, vel accumulationis eius in Vesica urinaria secernatur, erit pura, pellucida, parum sanguine, tincta; cum urina per urethram excreta, tam parcam quantitatem sanguinis secum rapiat, ut non sufficiat hic, ad eam saturandam, differentia tamen inter urinam sanam, et morbosam in oculos cadit. Raro adest dolor, vel saltem sensus pressionis, aut ardor modicus nonnunquam et titillatio voluptuosa. Adducuntur etiam casus H. U. tamquam vicarii profluvii suppressorum haemorrhoidum (H. haemorrhoidalis) aut menstruorum; aeger dum sine causa sibi nota doloribus in interna facie femorum, in lumbis, perineo afficitur, quae symptomata disparent; comparente haematuria interim vix urethra, sed Vesica urinaria huic functioni praestet.**

**Causae huius haematuriae solent esse sequentes: Laesiones urethrae productae sub adplicatione rudi catheteris, aut sondae, v. cauterisationis inepte institutae; nam semper perpendendum est medico urethrae, stricturas cum chronica inflammatione, et emollitione parietum eius plerumque junctas esse; subinde calculi incarceratedum marginibus asperis instructi, hanc haematuriam provocant, aut inflammationes vehementes — sedes huius morbi consuetissima est Bulbus cavernosus.**

**Haematuria vesicalis, cystorrhagia haemorrhagia Vesicae urinariae, sequentibus stipatur symptomatibus: Dolo-  
re in regione hypogastrica valido, premente, cum sensu pon-**



deris in regione colli vesicae, horripilatione. Sanguis urinae communiter non est intime nexus, sed efformat grumos irregulares coagulatos, urinae purae, aut parum tinctae innatantes, vel seorsim ad fundum vasis depositos; haec indicant effusionem sanguinis in isolatis punctis contigisse eo tempore; dum V. U. jam pura, pellucida urina scatebat, impossibilisque illius cum sanguine unio fieri potuerit.

Causae huius haematuriae sunt: irritationes variae V. U. Si acuta inflammatio V. U. adsit; tunc comparet febris valida, inquietudo; dolores regionis hypogastricae intolerabiles, et alia huic inflammationi propria. In regionibus calidis vehementi irritationi viarum urinalium, et V. U. saepius insequitur haec haematuria, occurritque in individuis, qui longiori tempore citato cursu equo insidere debent, ut equitibus, et aliis, sequentibusque comitatur symptomatibus: Urinae imminuta secretionem, spissa, rubra, salibus saturata, nonnunquam sanguinea sub transitu per collum V. U. et ureteres sensus doloris, ardoris, caloris, quodsi causae excitantes non amoveantur, oriuntur vehementes dolores in vesica, usque glandem penis extensi, perineum spastice contrahitur, ultimae guttae liquidi per urethram evacuati, sunt purus sanguis. —

Quod adinet qualitatem degenerationum, et abnormes mutationes, quae haematuriam, vices retentionum haemorrhoidalium et menstruorum agere faciunt; de eorum causa hucadusque Anatomia Pathologica nihil poterat erui, cum valde raro laethalis sit, et hinc sectiones in hunc scopum institutae raro sint. Varices V. U. causam huius haematuriae esse, vix probabile; sed potius membranas, mucosas in casu hoc magis emollitas, et vasa per haemorrha-



gicam congestionem magis extensa, et evoluta esse, ut hinc saepe rexis illorum contingat, et huius, vel solum transudationis ope sanguis dimittatur — tales haematuriae etiam agnoscuntur per absentiam omnium symptomatum praesentiam calculorum, aut laesiones. V. U. supponentium, per morbi recidivam, typum et influxum, quem in sanitatem aegri habet; sanguis enim e V. U. sana missus vel saltem inflammatione catharrhali, aut laesionibus libera, est purus urinae admixtus, e contra ex infirma plus minus affecta effluens est puri remixtus, vel puriformi, foetido, copioso mucosae referta.

Haematuria renalis, nephrorrhagia, haemorrhagia renum, sequentia, agnoscit symptomata. Sensus tensionis, tractionis e regione lumbali ad regionem pubis extensum contractionem spasticam testiculorum, varias affectiones abdominis; decubitus sacralis impeditus est, sanguis urinae intime mixtus, nam guttatim e renibus stillando cum urina per ureteres meat, et hic illi intime mixtus ad vesicam urinariam devenit, etiam si major pars sanguinis in grumos coagularetur tamen urina, a soluta materia tingente, rubrum acquirere colorem; uno saltem rene affecto, urina minus rubre tincta est.

Causae huius Haematuriae sunt: calculi, emolli-ones renum, aut gravis affectio renum.

Haematuria ureterica, difficilem admittit diagnosim, nisi status morbosus, in uno aut utroque uretere majori gradu evolutus sit; inflammationis status hunc morbum praecedens, est vel mitior, vel intensior, comitaturque morbum; persentitur dolor jam obtusus, jam acutus ad pressionem externam augendus, excurrens a regione lumbali versus regionem pubis, si exploratio justa in-



stituatur, tum detegitur tumor oblongus, qui producitur per sanguinem e renibus in ureterem delatum, vel in ipso uretere effusum, quo ille extenditur, ad crassitiem saepe digiti, subinde intestini tenuis.

Haematuriae huius causae sunt: calculi, irritamenta varia.

Haematuria prostatica, seu stymatosis prostatica, est sequela coitus nimii excessivi, genitalium exhaustorum vel symptoma morborum prostatae, nonnunquam est residuum saepius exantlatarum blenorrhoearum, comitatur dolore in regione prostatae.

Cel. Lecroix adnotavit casum stymatosis prostaticae, cuius causa erat rexis venae prostaticae.

Haematuria seu stymatosis vesicularum seminalium. Sub hac specie, intelligitur profluvium sanguinis, contingens sub ejectione seminis, vel paulo post eam.

Causa est vita excessiva; laborantque hoc morbo adolescentes, et haemorrhoidarii, veneri nimium indulgentes, vitia item horum organorum, haematuriam hanc inducunt.

Haematuriae spontaneae casum hic memorasse oportet, quem Professor Fouquier in nosocomio de la charité Parisiis observavit, quae spatio 14 dierum sola methodo antiphlogistica mitiori sanata est.

Therapia. In curanda haematuria indicationem primam desumimus a causis excitantibus; ideo si haematuria fuerit



symptoma lithiasis; tunc cura radicalis possibilis non est nisi calculus per lithotripsiam contritus, vel per cystotomiam exceptus fuerit; si haemorrhagia haec fuerit symptoma alterius morbi, aut febris putridae, vel scorbuti, tunc curam omnem contra hos morbos dirigimus; si haemorrhagia antagonistice excitata sit; forte fluxum catamenialem, vel haemorrhoidalem suppressum, tunc eos revocare nitimur. Saepe causae excitantes, ut potentia mechanica, refrigerium, ingesta acriora, jam praesentes non sunt, aliae, ut calculus, vel varices, cito, in vesica urinaria praesentes amoveri non possunt, tunc in therapia coordinanda rationem habemus principalem characteris dynamici haematuriae. Subinde symptomata omnia indicant praesentem statum inflammatorium renum vel ureterum vel vesicae urinae, atque tunc methodus antiphlogistica est necessaria, saepe venae sectio, saepe topica sanguinis evacuatio, hirudinum, vel cucurbitularum ope, quas applicamus ad regionem lumbalem iliacam, hypogastricam vel perineam. Statu inflammatorio tantum mitiori praesente, methodus antiphlogistica mitior sufficit, ut quies magna, interne emollientia, excluso nitro, et reliquis salibus neutris, externe fomenta; cataplasmata, semicupia tepida emollientia. Dum haemorrhagia sustentatur per statum hypererethisticum; doloribus saepe intensis se manifestantem; ut subinde accidit in haemorrhagia a calculo, a haemorrhoidibus, tunc narcotica indicata sunt, ut extractum hyosciami, cicutae, digitalis purpureae—subinde liquor Acidus Halleri, ipecacuancha dosi refracta, et opium, externe autem cataplasmata emollientia narcotica, dum haematuria sustentatur per statum torpidum, paralyticum organismi, remedia tonica adstringentia indicata sunt, interne acida mineralia, alumen, decoctum corticis cinchonae, cortex cinamomi vel cassiae lignae, radix ratanhia, gummi kino.



subinde radix arnicae, folia herbae uvae ursi, imprimis autem vinum antiquum bonum. Externe applicamus fomenta ex aqua frigida, vel glacie contusa; gradu debilitatis majori praesente abdomini apponuntur sacculi aromatici vino v. spiritu vini inspersi, cucurbitulae siccae, synapismi, injiciuntur clysmata ex aqua frigida, cui admiscentur alumen, vinum, spiritus vini. Adnotatur casus Haematuriae habitualis sanatae balsamo peruviano — Medicus Anglus Lynch \*) sanavit Haematuriam renalem alumine, et sequenti praescripsit formula:

*Rp e.* Aluminis grana quindecim.

Acidi sulfurici dil. guttas triginta.

Magnesiae sulfuricae drachmam unam.

Infusi rosarum Unciam unam.

Fiat haustus.

Dosis aluminis ab hoc medico ad 45 grana successive est aucta pro nycthemero. Haematuriam a plethora inductam sanavit D. Rösch \*\*) sale amoniaco in emulsione canabina exhibito; hic sal amoniacus conduxit, ut solvens, metamorphosimque regredientem promovens, absente tamen omni statu irritativo genitalium, solum usus eius licitus. Recidiva morbi impeditur per evitacionem causarum excitantium.

---

\*) Dublin Journal 1837. N. 36.

\*\*) D. Rösch Würtemb. Correspon.



## Literatura.

---

Bene Francisci elementa Medicinae practicae, Pestini  
1834. T. 3.

Schönlein J. L. Pathologia, et Therapia. Herisau 1837.  
Tom. 2.

Richter Ther. Spec. T. 3. Viennae 1817.

Schoperi dissertatio de mictu cruento, 1715.

Alberti dissertatio de micta cruento. Halae 1719.



## Theses defendendae.

- 1-o. Stimulans narcoticorum efficientia mere negativa.
  - 2-o. Lactatio nec formositati, nec sanitati matris infensa.
  - 3-o. Optimum saepe remedium fames.
  - 4-o. Medicus praeter officium suum, et humanus patiens — liberalis sit oportet.
  - 5-o. Doctrina homeopatica plura quidem continet, quae qua nova, et vera agnosci debent, sed dolendum, novum non verum, et verum non novum esse.
  - 6-o. Rheum alvum movet, sed et coërcet.
  - 7-o. Durante vita in corpore animali putredo non existit.
  - 8-o. Marasmus senilis non est morbus.
  - 9-o. Hungaria aquis medicatis exoticis non indiget.
  - 10-o. Non morimur, sed aliter orimur.
-



Theses Historicae

1. Stimulus aeternitatis effluens non negat
2. Lactio non formositas, nec aeternitas infans
3. Epithema saepe perspicua sunt
4. Medicina praeter officium suum et humanae rationis
5. Lactio ad aeternitatem
6. Medicina inaequata praeter quidem conficit, quae  
per nos, et tunc agnosci debent, sed dolendum  
non est non tamen, et veritas non tamen esse
7. Hic est aeternitatis, sed et aeternitatis
8. Praeter ista in corpore aeternitatis praeter non existit
9. Praeter ista non est aeternitas
10. Praeter ista quis aeternitatis aeternitatis non existit
11. Praeter ista, sed aliter existit